



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens Quæstiones à XXVII. vsque ad LXIV. & à Quæstione CVI.
vsque ad CXIV.

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1620

Dispv. CCXLV. De Angelis tutelaribus, & dæmonibus oppugnatoribus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81000](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81000)

interpretatio mihi maxime probatur, & aliorum Theologorum esse testatur idem Dionysius. Vel ideo Angelum illum dictum esse Seraphin, quia suam expandi & scientiam, & vim Deo quidem tanquam authori, Seraphin, autem quasi primo sacerdotum Pontifici tribuebat; sicut etiam nos expiationem peccatorum non solum Deo ut authori, sed etiam Christo secundum humanitatem ut primo sacerdoti referimus: quam etiam positionem assertit Dionysius ex quodam Theologo, ut supra diximus. Vtramque etiam probat S. Thom. q. 112. a. 2. ad 2. Præterea cum visio Ista fuerit tantum in spiritu, & non oculis corporeis, ut disp. 55. cap. 5. dictum est: non potest ex illo loco probari Seraphin missum fuisse ad Ista ipsa, sed tantum in visione imaginaria.

S. Thom.

Locus Tob.
12. exponit
147.

Tertius locus Scripturæ pro priori sententia erat Tobie 12. ubi Raphael, qui ad Tobiam missus est, dicitur vnus ex septem spiritibus: verum hic locus minus habet momenti. Fatemur enim Raphaellem esse vnum ex septem principibus, qui astant ante Deum: dicimus tamen hos spiritus non esse Seraphinos, sed septem Angelos præpositos vniuerso orbi, qui curam illius gerant, ut late ostendi supra disp. 180. cap. 1. à quibus etiam Ioannes tanquam à ministris deprecatur pacem, & gratiam fidelibus, ad quos scribit Apoc. cap. 1. ideo autem prius ab eis, quam à Christo pacem deprecatur, aut ut ostendat Christum secundum humanitatem minoratum fuisse ab Angelis: aut quia cum multa deinde de Christo dicturus esset, maluit postremo loco ipsum commemorare, ut deinceps de eo tantum loqueretur. Quod vero quidam contendunt, per septem spiritus ibi significari non Angelos, qui sunt septem principes terre, ne Christo præferrentur in deprecatione: sed Spiritum sanctum, aut eius charismata: mihi non placet, tum quia Spiritum sanctum inepte significaret Ioannes per septem spiritus: nam quamuis dicatur septiformis spiritus, nunquam tamen appellatur septem spiritus: tum etiam quia neque charismata spiritus congrue significarentur: nam neque à donis deprecamur gratiam, & pacem: neque dona ipsa dicuntur stare ante thronum Dei.

14.

Declaratur
locus ad
Hebr. 1.

Quartus locus Dan. 10. de Michael, qui dicitur vnus de principibus primis, eodem modo intelligendus est, ut principes dicantur septem illi spiritus præfecti vniuerso orbi. Quintus locus est ad Heb. 1. Nonne omnes sunt administratorij spiritus? Responder autem primum S. Thomas questione illa 112. articulo 2. ad 1. omnes quidem Angelos esse administratorios spiritus, quia mittuntur in ministerium vel missione interiori ad alios Angelos inferiores quibus mysteria reuelant, vel missione exteriori ad nos, ut aliquid exterius operentur: & sic comparari Christum omnibus Angelis. Hæc tamē solutio difficultat non caret. Nam illuminatio, non est missio inuisibilis: neque enim Angelus superior illuminans inferiorem venit ad illum; neque exit, quia non mouetur secundum locum: ut autem mitteretur, deberet secundum locum venire, aut nouo modo apparere. Præterea dici non potest mitti, quia aliquid operetur ad missionem inferioris: hoc enim valde improprie diceretur: apostolus autem dicit, omnes mitti.

15.

Deinde respondet S. Doctor, Paulum ibi com-

ARTIC. IV.

parare Christum non omnibus angelis, sed solum, per quos lex Moysis data est. Hoc tamen meo iudicio parum esset. Contendit enim Paulus omnibus simpliciter præferre, ut ostendat ipsum esse vere filium Dei: ideoque præcedit verba, Cui enim dixit aliquando Angelorum, siue estis? & iterum: Ad quem autem Angelorum dicitur quando, sede à dextris meis? & postea subiungit: Nonne omnes sunt administratorij spiritus in ministerio Christi? Si autem non omnibus Angelis comparasset Christum, non probaret, ipsum solum esse filium Dei: quia non ostenderet Paulus Deum idem dicere non potuisse alicui etiam angelorum.

Quare respondeo: verba illa, Nonne omnes, &c. referri quidem ad omnes ordines & hierarchias: verbis tamen illis: In ministerio Christi, non significari, Angelos ex omnibus hierarchiis, admissos esse in ministerium: nam licet verbum illud, Omnes, referatur ad omnes hierarchias, & ordines, referatur etiam ad singulos Angelos cuiusvis ordinis. Etenim Paulus non minus præferre contendit Christum singulis Angelis cuiusvis ordinis quam singulis ordinibus & hierarchiis in vniuersum: atqui nemo dixerit, singulos Angelos inferiores, medios, & inferiores missos esse: e contra illo loco probari non potest, aliquem ex superioribus hierarchiis missum fuisse.

Ceterum argumentum Pauli optimum est: nam ostensa conditione vnus Angelus, etiam infirmi, recte etiam ostenditur natura cuiusque, & si vnus est natura & conditione minister, & seruus, missus in ministerium: ceteri etiam eiusdem conditionis erunt, ut mittantur, licet non dum missi sint: nam neque Rex, qui nulos ministros habet in domo sua, singulos à se mittit in alium locum: conditione tamen singuli tales sunt, ut mitti possint, nec vlli eorum dicatur, Sede à dextris meis. Hæc solutio non solum præferim vim habet si dicamus, omnes angelos esse eiusdem speciei, sed etiam si specie differre existimemus, eodem modo probat: de omnibus enim inquit Paulus, esse administratorios spiritus in ministerio missos, quia apti sunt, ut mittantur. Cum igitur negare non possimus, cuiusque Angelo sapientia natura hoc conuenire, ut mitti possit in ministerium, & utrum missus fuerit aliquis superius, an non, quæstio sit facti, de quo nobis nihil conuenire potest: satis erit nihil in hac re definire pronunciare.

DISPV. CCXLV.

De Angelis tutelariis, & demonibus oppugnantibus.

De custodia bonorum Angelorum. cap. 1.
De oppugnatione demonum. cap. 2.

CAPVT I.

De custodia bonorum Angelorum.

EX Angelis, qui ad nos mittuntur, quoddam esse tutelares, quibus homines à malis solent liberari, ex Scriptura indubitatim est. Dicitur enim Genes. 19. Angeli eduxerunt Lot, & posuerunt eum

Genes. 48. extra civitatem, dicentes salua animam tuam. & *Genes.*
Tob. 12. 48. inquit Iacob, Angelus qui eruit me de cunctis malis.
Actor. 12. Idem habetur Tobie 12. & *Actor. 12.* & in *Psalm.*
Psal. 91. 90. dicitur, Angelus tuus mandauit de te, vt custodiant te
 in omnibus vijs tuis. Singulis tamen hominibus sin-

Caluinus. gulos angelos ad custodiam esse deputatos, tan-
Origenes. tum vulgi opinionem putat esse Caluinus lib. 1.
 instit. cap. 14. sectione 7. Ex Patribus vero Orig.
 tractat. 5. in *Math.* tractans locum illum, *Angeli*
eorum semper vident. &c. refert duas opiniones, vnā
 eorum, qui dicebant, Angelos solum delegati in
 custodiam prædestinatorum ab instanti natiuita-
 tis ipsorum: alteram eorum, qui existimabant, so-
 lum sanctis hominibus, à die baptismatis Ange-
 los custodes deputari. Veramque vero sententiam
 ex Origine memorat S. Thomas articulo 5. qu.
 113. alio modo, vt apud ipsum videre est. Præter-
 ea Hilarius in eum locum *Matth. 18.* & *Ysaie libro quarto*
contra Celsum, & *Chrysost. Hom. 70.* in *Math.* asserunt
 iustis hominibus datos esse singulos Angelos ad
 custodiam: de malis autem hominibus nihil
 docent.

2. Verum communis sententia Patrum, & Scho-
 lasticorum, quam sine graui temeritatis nota re-
 gare non licet, est: singulis hominibus, cuius-
 que qualitatē & conditionis sint singulos Ange-
 los ad custodiam deputari: nam ex illo *Matth. 18.*
Angeli eorum semper vident faciem Patris. Patres colligunt,
 singulis hominibus à die natiuitatis sue sin-
 gulos Angelos esse deputatos. Præterea, *Actor. 12.*
 cum Petrus fugiens e carcere pulsaret ianuam
 domus Mariæ Marci, & puella dixisset
 esse Petrum, ceteri non credentes, esse Petrum,
 quem putabant adhuc in carcere manere dice-
 bant, *Angelus enim eius est:* credebant ergo, Petro, &
 cuiusque alteri Angelum destinatum fuisse in
 custodiam.

Ex Patribus vero ita plane testantur idem Ori-
 gen. 3. lib. periarcho cap. 2. post medium. Basil conc. 9. in
Psalm. 33. & conc. 13. in *Psalm. 48.* & lib. 2. contra Eu-
 nomium in principio, atque eius F. Gregor. Nyssen. in l.
 de vita Moysis, Theodor. orat. 10. in Danielem, vbi etiam
 assert. locum illum *Matth. 18.* Theophyl. in illum lo-
 cum *Matth.* Ex Latinis vero Hieronym. in commentariis
 illius cap. *Matth. Anselm.* & Lyran. & recentiores om-
 nes interpretes in eundem locum. Quare non
 video qua de causa dubitet Magister in 2. dist. 11.
 verum singulis hominibus singuli Angeli depu-
 tentur, an vnus Angelus multorum etiam homi-
 num curam habeat.

Scholasticorum vero nullus est, qui in ea di-
 stinctione non aseruat, singulis hominibus sin-
 gulos Angelos esse deputatos in custodiam. Idem
 docuit Sanctus Thomas infra quæstione centesi-
 ma decima tertia articulo secundo imo vero hæc
 videtur antiquissima hominum traditio, quam
 Gentiles etiam ab Hebræis, sicut plura alia, vi-
 dentur accepisse. Quæ enim alia ratione verita-
 tem hanc discere potuissent? narrant enim ali-
 qui ex illis, quos capite sequenti citabimus, sin-
 gulis hominibus bonum, & malum demonem à
 die sue natiuitatis assistere. Imperito tamen,
 absque fundamento Caluinus suggillat Catholi-
 cos Doctores, quod custodiam cuiusque homi-
 nis ita referant in vnum Angelum custodem, vt
 negent, ab alijs etiam Angelis homines interdū
 adiuuari: hoc enim nullus Catholicorum asser-
 mat: sed omnes contendunt, vnum esse ad pecu-

liarem curam & tutelam vnicuique hominum de-
 putatum: ex quo non sequitur, interdum aliquos
 homines ab alijs etiam Angelis, quam à suo tu-
 telari, non adiuuari.

Porro autem Angelum vnicuique deputari ad
 custodiam ab ortu natiuitatis sue, plane docuit
 Hieron. & S. Thoma 5. ceterique Scholastici in ea
 distinct. nec solum post baptismum, vt aliqui per-
 petuum senserunt, quos retulit S. Thom. in eo ar-
 ticulo alioquin nec Gentiles haberent Angelum
 custodem, quod est contra doctrinam patrum,
 qui non tantum singulis Christianis, sed etiam
 singulis hominibus Angelos custodes tribuunt.
 Neque vero custodia Angeli post mortem homi-
 nis durat: nam custodia eius solum necessaria est
 pro tempore, quo peregrinamur in hac vita, vt
 manifeste patet. Sed neque ante natiuitatem vide-
 tur necessarius Angelus in custodiam paruuli: si-
 quidem ab eodem Angelo, à quo & mater ipsius,
 commode custoditur: tunc enim est veluti pars
 matris, vt recte notauit S. Thom. in eo art. 5. ac
 proinde sub eiusdem curam & custodiam cadere
 debet.

Cæterum de modo custodiam quædam obser-
 uanda sunt. Primo in vniuersum notandum est,
 modum custodiam duplicem esse, vnum per remo-
 tionem eorum, quæ nobis etiam ignorantibus
 nocere possunt: & hæc remouentur ab Angelis
 sine nobis: alterum per instructionem & disci-
 plinam, quæ docent & monent nos ad fugienda
 mala, & prosequenda bona, hoc autem faciunt in
 nobis eo modo, quem diximus disput. 217. cap. 4.
 alio enim modo nostram voluntatem immutare
 nequeunt. Secundo nota, varios esse modos im-
 mutandi nostram voluntatem, vt diximus, per
 terrorem, per amorem, per spem: denique per
 omne genus boni affectus, ad quem nos excitare
 possunt: de quibus vberius d. flierit *Gerson tractatu*
 8. super *Magnificat*, parte tertia, quæ est in Alpha-
 beto octogel. tertio. Tertio notandum est, ita
 homines ab Angelis custodiri, vt à quando eos
 labi permittant: in hac enim custodia ipsi Angeli
 Dei nutu gubernant, cum igitur vident Dei esse
 voluntatem, vt permittant homines labi, ipsi per-
 mittunt: nec hoc est, ab eorum cura recedere: ne-
 que enim permittunt ex socordia, & obliuione,
 sed scientes & prudentes ob rationem istam, vt
 recte admonet S. Th. quilla 113. a. 6. ex quo fit vt cū
 aliquid mali hominibus euenit, angeli custodes
 non tristantur, vt docet idem Sanctus Doctor ar-
 ticulo 7. cum enim videant, ob suam negligen-
 tiam id non contigisse, sed ex nutu Dei ita homi-
 nes fuisse relictos: nulla illis esse posset causa
 tristitiæ. Adde etiam quod cum ipsi videant clare
 Deum, de nulla re tristari possunt. Summa enim
 delectatio pellit omnem tristitiam, vt dicebamus
 supra dist. 24. i. c. 1.

Porro, Angeli custodes non tantum curæ &
 custodiam hominum incumbant, sed etiam oratio-
 nes suorum Deo offerunt, iuxta illud *Tobie 12.* *Tobie 12.*
Quando orabas cum lachrymis, & sepeliebas mortuos, ego
obtulit orationem tuam Domino. & *Apoc. 8.* *Ascendit su-*
mus incensorum de orationibus Sanctorum de manu An-
geli. Offerre autem dicuntur custodes angeli ora-
 tiones suorum, cum simul ipsi deprecantes eorum
 orationes proponunt, non vt Deo illas manife-
 stent, cum nihil ipsum lateat: sed vt ipsi pro no-
 bis simul deprecantur.

6. Quod hæcenus diximus de hominibus, nempe singulis esse singulos Angelos deputatos ad custodiam, nonnulli etiam non incongrue intelligunt de ciuitatibus, & provinciis, & collegijs, cum S. Th. in q. 112. a. 2. imo idem S. Doctor asserit, probabile fieri, ut singulis speciebus rerum singuli Angeli præficiantur. Plato vero in libro de regno ait, singulis dijs singulas plagas mundi commissas esse: imo etiam singulis animalium generibus. Sed & Orig. Ho. 14. in num. inquit, opus esse Angelis, qui sint super bestias, & qui præfint exercitiis, & animalium natiuitati, virgultorū, & plantationum, & citat librum Pastoris. Clemens etiam Alex. lib. 6. Strom. gentibus, & ciuitatibus Angelos assignat.

Plato.

Origenes.

Clemens Alexand.

August.

Apocal. 14.

Andreas Episcopus.

Damasc.

Angeli custodi ex inferiori sunt ordine.

Chrysost.

8.

August. vero videtur asserere, non solum speciebus singulis, sed indiuiduis etiam singulos Angelos præfectos esse libro 83. qq. q. 74. Vnāqueque res (inquit) visibilis in hoc mundo habet Angelicam potestatem sibi præpositam. Hæc tamen verba explicari possunt, non ut singulis rebus alijs, præter hominem singuli Angeli præfint, sed quia vnus Angelus totius speciei curam habet. Et ideo c. 14. Apocal. fit mentio Angeli habentis potestatem super ignem, & c. 16. alius vocatur Angelus aquarum. Ex quo loco colligit Aretas, non tantum gentibus, sed elementis etiam præesse Angelos. Andreas quoque Episcopus Cæsarea Cappadocia in commentarijs nondum excusis explicans illum locum Apocal. 14. Qui habebat potestatem supra ignem, inquit, Hinc discimus Angelicas potestates præpositas esse creaturis hanc quidem aquis, hanc autem igni, hanc autem alij cuiusdam parti creaturæ.

Denique Damasc. lib. 2. de fide cap. 3. affirmat, Angelos præfides esse partium terræ, locorum & gentium. Verum autem singuli Angeli singulis rerum speciebus præpositi sint, an vero septem illi spiritus tantum, qui curam habent totius orbis, his rebus præficiantur, hi patres non explicant: probabile tamen videtur, alios esse diuersos ab illis septem. Hæc autem non sunt ita certa, sicut quod diximus prius de hominibus. Septem tamen spiritibus præcipuis commissam esse gubernationem vniuersæ terræ, ut disp. præced. cap. 2. dictum est, multo certius est, quam præter hos etiam singulos alios singulis speciebus rerum, & singulis collegijs, & ciuitatibus distinctos esse.

Potremum obseruandum est, licet dubium sit, an supremi Angeli aliquando ad nos mittantur pro aliquo negotio peculiari, nullum tamen hæcenus dixisse, custodes Angelos ex officio ad custodiam delegatos esse ex suprema hierarchia, sed omnes antiquos scriptores fateri, de infimo ordine infimæ hierarchiæ eos esse: quare falluntur recentiores nonnulli, qui dicunt, alicuius hominis ordinariam custodiam interdum committi Angelis supremis: probant vero ipsi suam sententiam ex Chrysost. Hom. 60. in Matth. vbi ait, illud, Angelus eorum semper videtur faciem, dictum esse de supereminetibus Angelis. Verum si hoc testimonium quicquam valeret, probaret, omnes custodes Angelos esse de supremo ordine: quod nullus hæcenus dixit: de omnibus enim loquitur Chrysost. Quare dicendum est, Chrysost. omnes custodes vocasse supereminentes, non comparatione aliorum Angelorum, sed aut comparatione hominum, aut absolute.

Fides Catholica docet, dæmones quantum a Deo permittuntur, nostræ salutis ex incerta infideli eodem modo, quo Angeli boni nostræ salutis prospiciunt Gen. 1. constat, homines multos fuisse ad peccandum suggerente dæmone. Et Ioan. 12. dicitur, Cum diabolus iam missus in terram, ut traderet eum. Ad Ephesios 6. Non est nisi aliquid lucratio aduersus carnem, & sanguinem, sed aduersus principes & potestates, aduersus mundi rectores, & c. Et 1. Petri 5. Aduersarius vester diabolus circum quærit quem deuoret. Ceterum esse singulis hominibus deputatum aliquem dæmonem ad oppugnamum, sicut est Angelus ad custodiendum non eodem modo certum est: nihilominus ex Scholasticis Magister in 2. d. 1. 1. affirmat, singulis hominibus delegatos esse singulos dæmones ad oppugnamum. Ex Patribus vero ita docent Origen. 3. lib. perieron. cap. 2. post medium; Nyssenus in libro de vita Mystica ante medium: refert quoque Plutarchus libro de tranquillitate, & serenitate animæ folio 3. in fine, Menædrum dixisse assistere omnibus hominibus boni dæmonis illico à die ortus sui: cuius sententiam refellit, approbatque sententiam Empedoclis, qui asserbat geminum dæmonem, alterum bonum, & alterum malum, vnicuique homini à diuinitatis consilio.

Bonum autem genium nulla facta mentione mali, posuit etiam Plato in Phædono in Theæte, & in apologia ad Athen. & Pythagoras, ut refert Iamblicus in vita eius vita, & idem Iamblicus de mysterijs Aegyptiorum segmento 3. cap. 3. & 6. Singulis autem hominibus præter bonum Angelum designatum esse dæmonem oppugnatorem, colligi videtur ex illo 2. ad Cor. 12. Datus est mihi simulacrum carnis mee angelus sathanæ qui me colaphizat, & quidem si numerus sufficiens ad hoc manet in hoc aere caliginoso, ego non dubitarem, supremum dæmonem sollicitum esse in assignando singulis hominibus singulos oppugnatores, sicut est Deus in assignando singulis hominibus singulos custodes. Nam quantum eodem modo cruciuntur dæmones existentes in aere, quo cruciuntur existentes in inferno: dicendum tamen non est, tot dæmones existere ad nos mitti: sed ab existentibus in hoc aere homines oppugnari.

Est tamen discrimen inter delegationem bonorum ad custodiam, & malorum ad oppugnamum. Nam bonorum fit à Deo ad custodiam eos destinante: malorum autem non fit à Deo ita ordinante, sed permitteate. Fit autem à dæmone aliquo præcipuo: quod indicare videtur Paulus 2. ad Corinthios 12. cum dæmonem, à quo ipse oppugnabatur, vocauit Angelum sathanæ. Ceterum, ut docet S. Th. in q. 114. art. 1. quantumvis oppugnatio dæmonis non fit à Deo, ordo tamen illius à Deo est. Quod hac ratione intelligi debet: non quia Deus constituerit & iusserit talem, aut talem ordinem, quo dæmones oppugnatu sunt nos: sed quia oppugnatio nem, qui ipsi veniunt aduersus nos, Deus in fines suæ providentiæ refert sicut etiam peccata non vult, ut dant, sed facta refert in finem suæ providentiæ, ut ostendimus q. 22.

q. 22. art. 2. modus autem, quo dæmones nos oppugnant, non est immutando proximè nostram voluntatem, aut intellectum, sed per phantasiam, eo modo, quo de custodia diximus. An vero omne peccatum fiat ex oppugnatione dæmonum, quo i disputat S. Th. q. 114. art. 3. dicemus 1. 2. q. 80. art. 4.

Docet etiam idem S. Th. in ea q. a. 5. dæmonē, quia ab vno hominē, quem oppugnabat, superatur, recedere aliquantulum ab eo. Colligit ex illo Luc. 4. Et consummata omni tentatione, diabolus recessit ab eo (scilicet à Christo) vsque ad tempus: vbi data opera dicitur, vsque ad tempus, ne putaremus, dæmones nunquam iterum redire ad oppugnandum eum, à quo semel superari sunt. Quomodo autem vsque ad tempus à Christo recesserit, explicat Theophyl. vsque ad tempus passionis, quo iterum diabolus Christum aggressus est. Caietan. vero in eum locum Pauli inquit, nunquam legi, quo modo diabolus iterum per semetipsum Christum fuerit aggressus: tamen per arreptitios sæpius ipsum tentauerit. Ceterum diabolus recedere à nobis,

cum superatur, plane docet Iacobus 4. capite cum ait, *Fratres resistite diabolo, & fugiet à vobis*: sed non ita recedere, vt iterum non redeat, constat ex illo Matth. 12. *Reuertar in domum meam, vnde Matth. 12. exiui.*

Hæc habuimus de natura, proprietatibus, gratia, peccato, beatitudine, & pœna Angelorum, quæ in elucidationem doctrinæ S. Tho. tractaremus: cuius mentem, & veritatem si non tam recte fuimus assecuti, quam opus erat, venia nobis habenda est: res enim perobscura, & ad intelligendum humano ingenio adeo difficilis semper visa fuit, vt in ea plerique grauesque Theologi non parum laborantes in varias sententias diuisi fuerint. Ex quibus vt veritatem, & rationi magis consentaneam eligeremus, non parum laborauimus: cum propter eorum auctoritatem, qui secum concertantes, contraria opinati sunt: tum propter varia momenta rationum, quibus nixi opposita docuerunt. Deo Patri lumen, in cuius lumine videmus lumen, gloria, & imperium in sæcula. Amen.

LAUS DEO.



INDEX

VASQUIER

in 3. partem

Tomus I. 11

15 V

13